

bet in multis eius partibus aeternis: coelis, astris, prohibet in multis eius generationem patientibus partibus: aere, aqua, terra. Non prohibet in horum paucis, minimis, pusillis mundi partibus. Non fuerunt hae non multae pusillae in Dei maximi comparationem 5 vocandae. Noverat Xenophanes ex Aristotelis confessione:¹⁸ *Multa etenim alia secundum omnem sensum apparere rationemque non destruit, haec generari.* Non haec multa dixerat esse unum illud, non asserebat haec multa non generari. Cur ergo Deus ille unus tantis ac tot machinis oppugnatur? Si illa multa sensibus apparentia Xenophanes dixisset, unum esse, non generari esse aeterna, omnis Aristotelica reprehensio locum haberet, sed cum hoc ille non dicat illudque unum sit Deus, locum non habent obiectiones. Quid prohibet multa generari ac corrumpi ex ente semper in ens? Quid prohibet ex aliis corpora generari et corrumpi rursus? Quid 10 prohibet ingenitum existens habere terminum et principium?¹⁹ *Et terminari adinvicem aeterna existentia?* Ut corpora scilicet coelestia et elementalia? Quid prohibet totum quidem ingenitum esse et infinitum, ea vero, quae in ipso generantur, terminari principio et fine generationis? Et ἐπεὶ εἰ καί ὡς αὐτὸς λέγει, ἐν ἐστι, καὶ 15 τοῦτο σῶμα ἔχει, ἀλλ' ἔαυτοῦ μέρη.^{xvii} *Quandoquidem si ut ipse ait:*^{xviii} *Unum est et hoc habet corpus, aliae eius partes.* Quis dubitat de corporeo universo hoc verum esse? At Xenophanes de uno loquebatur incorporeo, cuius nullae sunt partes, nec similies, nec dissimiles. Non erat ergo inferendum: *Adhuc si aeternum et infinitum est, quomodo fuerit unum corpus existens?* [297] Neque addendum: *Si vero nec corpus nec latitudinem nec longitudinem habens ullam, quo modo infinitum erit?* Nam ille Deus sine principio, sine fine cum sit, Aristotelica infiniti definitione est infinitus. Neque illud ad rem facit: *Adhuc existens unum nihil absurdum fuerit, si non*

¹⁸ πολλὰ γὰρ καὶ ἄλλα κατὰ τὴν αἰσθησιν φαντάζεσθαι ἅπασαν. λόγον δ' οὔτε ἀναιρεῖ τὰ αὐτὰ γίνεσθαι. [ARIST. Xen. 974b.5–7]

¹⁹ καὶ εἶναι περαίνοντα πρὸς ἄλληλα ἀττικά ὄντα. [ARIST. Xen. 976a.3]

^{xvii} Usp. ARIST. Xen. 976a.11–12.

^{xviii} To je također citat, a nije kurziva.